

B. h. II, 169.
h. 46, 13.

X 1880 364

II R
5096

Q. D. B. V.

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA

De

CAUTELIS PRIN-
CIPUM CIRCA COL-
LOQVIA ET CONGRESSUS
MUTUOS,

Quam

Inclytæ Facultatis Philosoph. Consensu
IN ALMAYHYLEA

Sub PRÆSIDIO

VIRI Excellentissimi, Amplissimi atque Præclarissimi

DN. M. JACOBI THOMASII,

Eloquentiæ Profess. Publ. longè celeberrimi, Facultatis
Philosoph. Assessoris, & Minoris Principum Collegii Col-
legiati gravissimi, nec non h. t. veterum Academiae
Villarum Præpositi dignissimi

*Præceptoris ac Fautoris et atem colendi, publicè
defendendam suscipiet*

ad d. 17. Octobr. A. M. DC. LXXIV.

H. L. Q. C.

FRIDERICUS RUDOLPHUS
LUDOVICUS à Kanitz/Eqv. March.

LIPSIÆ,

Literis JOHANNIS GEORGI,

D. D. V. V.
DIPLOMATICA HISTORICO-POLITICA

GAUTHERI
CAPITULUM CIRCA COL
BOONIA ET CONGRASSUS
MUTUOS

Insuper Facultatis Philosoph. Consensu
IN ALMA MATHURIA



DN. M. J. THOMASII

Blodveneris Profr. Publ. longē celebrant, Facultatis
Philosoph. Altorf. Collegii Col.



Legati gravissimi
Villae dignissimi
Praepositi ac
Assestantes

ad 12. Octobr. M. DC. LXXIV.

H. L. G. C.

FRIDERICUS RUDOLPHUS
LUDOVICUS a Rantzsch March.

L. P. 21 A.

Lign. Johannis Grotel.



SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRIN-
CIPi ET DOMINO,

DOMINO

CAROLO ÆMYLIO,

MARCHIONI BRANDENBURGENSI

BORUSSIÆ, MAGDEBURGI, JULIÆ, CLIVIÆ, MON-
TIUM, STETINI, POMERANIÆ CASSUBIORUM ET
VANDALORUM, NEC NON IN SILESIA, CROS-
NÆ ET JÆGERNDORFFII

D U C I

BURGGRAFIO NORIMBERGENSI,

PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMMINI CO-
MITI MARCÆ ET RAVENSBERGI,

DOMINO IN RAVENSTEIN LAUENBURG ET
BÜTOV.

FASTIGII ELECTORALIS

ET

SUMMI PARENTIS VIRTUTUM
EX ASSE HÆREDI

PATRIÆ ET BONORVM DELICIO,

PRINCIPI
PIO AC MAGNANIMO

JAM IN EXERCITU FORTITER DEGENTI,

HOC

CONFLICTUS ACADEMICI SPECIMEN,

CONSTANTEM INCOLUMITATEM
VITÆ DIUTURNITATEM
OMNIGENAM FELICITATEM
SIMUL APPRECATUS

*HUMILLIMA MANU AC MENTE OFFERT, SEQUE GRATIÆ
CLEMENTISSIMI SUI PRINCIPIS COM-
MENDAT.*

FRIDERICUS RUDOLPHUS LUDOVICUS de Sante.



I. N. J.

PROOEMIUM.

UT nulla humanae vitae conditio tam felix est, quæ dulcedinem suam non aliquâ fellis mixturâ temperet: ita ne maximorum quidem Principum fortuna hîc eximia est. Habent illi factè, quibus gaudeant, authoritatem incomparabilem, agendi libertatem quanta potest esse maximam, copiarum abundantiam insignem: Neque nihil tamen est, quod desiderent. Summam vitæ nostræ voluptatem sincera parit amicitia. *Quid enim dulcius, inquit Cicero, (a) quam habere, cum quo omnia audeas sic loqui ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æquè, ut tu ipse gauderet? Adversas verò res ferre, difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam, quam tu ferret. Jam cum amicitiam nihil æquè conglutinet, quam similitudo: fatendum est, uberiores longè proventus ejus expectari posse in Civium ædibus, quam in Palatiis Regum: Videt enim sui similem Civis quotidiè, Rex raro. Itaque carendum huic sæpè est cum aliis amicitiae fructibus, tum eò, quem prudentissimus Verulamius (b) maximum judicans reponit in levamine & evaporatione anxietatis & tumorum cordis, quos animæ perturbationes cujuscunque generis imprimere solent. Neque enim his obstructionibus medicina sperari præsentior potest, quam ab Ami-*

A 3

CO

(a) Læl. p. 100. (b) Serm. fidel. XXVII: qui est de Amicitia p. 123. seqq.

co fideli, cui tanquam sub sigillo confessionis civilis impertire possis dolores, gaudia, metus, spes, suspiciones, curas, consilia, & quicquid denique Cor opprimat. Jam verò Principes, (pergamus enim cum ingeniosissimo Authore loqui) propter distantiam & sublimitatem fortunarum suarum à fortunis Servorum & subditorum fructum hunc decerpere nequeunt: nisi forte aliquos evehant, qui sint sibi tanquam Socii & æquales: quod ipsum tamen sæpenumero cum gravissimo vel damno vel periculo conjunctum fuisse docent exempla. Quod si maximè contingat interdum, ut in colloquia mutua Principes veniant, minùs tamen illa (nisi fratrum fortasse) frequentia, minus assidua ferè sunt, quàm ut familiaritatem gignere, & ex hâc in fraudis nesciam surgere possint amicitiam. Jam si cautum esse oportet vel gregarium civem alteri se miscentem: quanto magis adhibenda Principi circumspectio est, ne quid de tali Colloquio referat, cujus ipsum queat poenitere. Intellexerunt hoc sapientiæ civilis Magistri, deque *Cautelis* adeò quibus instructos esse *Principes circa colloquia & congressus mutuos*, conveniat, consilia nobis neutiquam spernenda, congruis exemplis illustrata, hinc inde reliquerunt. Ea colligere nunc, & in formulam *Dissertationis*, quæ si non aliâ re, saltem brevitate se commendet, ordinare propositum nobis: non ut viros illustres doceamus, sed ut Academici agonis faciamus periculum. Sit ergo favente DEO

DE CAUTELIS PRINCIPUM CIRCA COLLOQUIA ET CONGRESSUS MUTUOS

§. I. PRIN-

§ I.

PRINCIPES dum vocamus, sub hujus tituli ambitu comprehensos volumus omnes, quicunque majestate eminent, ut Imperatores, Reges, horumque similes alios: nec Viros tantum sed foeminas quoque: nam & harum circumspecte, cum colloqui vellent, agentium, exemplum (a) proponi meminimus.

(a) habebis hoc §. XLVI.

§ II.

COLLOQUIA Principum sunt illud, quod praebere ut periculis occasionem potest, ita materiam cautionibus debet. Cumque hic Principem Principi colloquentem cogitemus: non incommode colloquia haec vocavimus quoque Principum CONGRESSUS MUTUOS.

§. III.

CAUTELAE vox illud innuit, tametsi pro finium, quae colloquia Principibus suadent, diversitate, generis non minus diversi consilia esse possunt, quibus instruantur collocuturi: de illis tamen consiliis cogitare nos, non quae ad fines colloquiorum ultimos respiciant, sed quae arceant pericula, quibus implicari nonnunquam congregientes Principes compertum est.

§. IV.

Quamquam igitur & ipsi Principes, & fines colloquiorum distingvi possunt; (nam Principes vel amici vel hostes; nunc noti, nunc ignoti congregiuntur: Colloquia jam visendi tantum gratiam instituuntur, jam deliberandi sive de re tertii, sive de proprio negotio, v. g. contrahendae affinitatis, finiendi belli, pacis confirmandae, ineundi pacti:) tamen ratio postulat, ut hic de periculorum imprimis varietate simus solliciti.

§. V.

§. V.

Eqvidem non eo inficias, plus metuendum esse periculi ab hoste, quàm amico; ab ignoto, quàm noto; in propriâ causâ, quàm alienâ; pace dubiâ quàm certâ: Verùm hæc discrimina observasse non aliò valet, nisi ut sciatur, non ubivis æqvè & ex pari timore intendendos esse prudentiæ nervos. Cœterum ipsa cautelarum præcepta non aliunde distingventur melius, quàm è generibus periculorum.

§. VI.

Enimverò si historiarum perlustramus monumenta, colloquia & congressus Principum cum variis conjuncta fuisse periculis deprehendimus. Attulere ejusmodi congressus pericula, quæ securitatem & vitam jam læderent, jam plane tollerent. Nonnunquam usu venit, ut dum colloquiis vacant Principes, magnam fortunarum jacturam facerent. Neque rarò dignitas atque Authoritas summorum virorum congressibus istis labefactata fuit.

§. VII.

His ergo periculis opponendæ cautelæ generales aliæ sunt, aliæ speciales.

§. VIII.

Generalissimum, quodque adeò omnibus periculorum ex congressu generibus, quia congressum ipsum præcidit, opponi potest, illud habemus, quod svadet Cominæus, Historicus Gallicus, eloquio Besoldi, hunc ipsum ex eo tractantis locum, (a) nobilissimus, & qui nunquam non prudentiores dimittat Lectores suos: Nimirum ut colloquia planè vitent Principes, atque per Legatos ea, quæ necesse, peragant. *Imprudenter*
in-

inquit (b), faciunt Principes aequali potentia praediti, meo quidem
iudicio, quod in colloquutionem ipsi descendunt: Nisi forte ea sint aetate
ut praeter jocos & lusum, nihil spectent aliud. Nam postquam grandi-
ores evaserunt, & aemulatio aliqua coepit inter ipsos oriri, quod ferè
fit, non est consultum, ut ipsi congregiantur, ac longè praestat, ut contro-
versias & quicquid est negotiorum curent per legatos, viros bonos &
prudentes componi. Quod monitum prudens & verè Poli-
ticum praeter Besoldum, celebris judicat Politicus, Pic-
cartus: (c) quia scilicet rarò lætos sortiantur exitus,
propter multiplices circumstantias congressus Prin-
cipum.

(a) Cap. i. de legatis. n. 5. p. 7. (b) L. III. Comment. de reb.
gest. Ludov. XI. p. 90. Edit. Argent. A. 1545. similia reperies p.
85. & 93. (c) Dec. II. observ. historico-politic. cap. VIII. p. 113.

§. IX.

Verùm ut omittam, non omnes Legatos debitam
prudentiam res suas peragere, (imprudentiae exemplum
ipse suppeditabit Cominaeus (a)) legationibus certè
hoc velut peculiare est, ut moram faciant non parvam.
Et omnino emergere casus possunt, qui Principum
ipsorum salutationes svadeant mutuas.

(a) Lib. VII. p. 143.

§. X.

Neq; defunt exempla lætissimi exitus, quem ipso-
rum Principum sortiti sunt congressus, capitalibus in-
terdum inimicitiis in amicitiam planè singularem, i-
mo ipsam affinitatem converfis. Nonne graves inter
se Carolus VI. Gallorum, atque Richardus II Britan-
niae Magnae Reges inimicitias ac bella gesserunt? qui
tamen in colloquium deducti, ita abiire, ut non ami-
citiã solùm, verùm affinitate quoque, Isabellã Caroli

B

fi-

filiâ in matrimonium Richardo collocatâ, jungerentur (a).

(a) Campofulgofus Exemplorum L. IV. c. II. p. 470. Edit. Basil. A. 1567.

§. XI.

Unde statuimus, non adeò inutile esse, neq; cum inevitabili damno conjunctum, ut Principes in colloquia mutua descendant, sed potius salutare atque proficuum, modò adhibeantur remedia, atque tales cautelæ, quæ, perspicaci curâ adhibitæ, pericula congregientium propulsare possint

§. XII.

Ex his illud generalibus accenseas, ut Principes in colloquiis mutuis comiter sese gerant, modestè atq; circumspectè, adeò, ut neq; nimium atque importunè sciscitando, neque incautè atque imprudenter ad quæsitâ respondendo, & pectoris penetralia referendo, periculum sibi creent. Monitum hoc, ab Illustri quodam & Summo Politico (a), ubi de colloquiis Principum Germanorum cum amicis, aut eorum ministris agit, suggestum, non incommodam hîc, in nostra quoque dissertatione sedem habere videbatur.

(a) Dn. à Sectendorff im teutschen Fürsten-Staat/P. II, c. VII. p. 178. 179.

§. XIII.

Comitati, quam talia postulant colloquia, illud imprimis est adversum, si congregientium alter vel uterq; verborum asperitatem, aliave iracundi vel offensi animi signa ostendat. Æquò animò talia vix homines patiuntur de ultimo grege civium: quis ergò prosperè cessuros existimet Magnorum Principum hoc felle temperatos sermones?

§. XIV.

§. XIV.

Quo loco in mentem venit ejus historiæ, quam è Dubravio recitat Piccartus (a). Convenerant Bambergæ Fridericus Imperator & Wenceslaus Bohemiæ Rex. Wenceslaus quidem à Vilibrando Magdeburgensi Præsule pacis publicæ turbatæ reus factus erat. Quò auditò, Cæsar statim à prandio Regem acciri in conclave unò tantum comite comitatum jubet. Comes Vogirius erat. Ubi comparuisset, Cæsar itidem unò Pontifice Bambergensi adhibitò, acerbius illum quasi pacis turbatorem appellat, cunctaque ab illo repetit, quæ quondam Patri illius dono dederat. Confusus Wenceslaus re improvisâ paulum initiò reticuit, mox receptò animò liberè satis sese Cæsari purgavit: *Quin mea, inquit, mihi redhiberi volo, quod nisi properè fiat, ab invito per vim extorquebo. Pertinacius deinde obsistentem oblitantemq; Wenceslaum, nec minas suas magni pendentem, à se manibus retrudit Cæsar. Ambo autem vinò haud minùs quam irâ astuabant, ut fieri solet à lautò prandio. Wenceslaus retrusus dextram Cæsaris manum suâ lævâ arripit, alterâq; stringit gladium, sanctèq; jurat, se illum in corpore Cæsaris demersurum, si non sospes omnibus suis fortunis salvus dimittatur. Quod dum ille facit, Vogirius interim Præsulem Bambergensem, qui solus Cæsari aderat, tanquam viribus valentior arctissimo complexu retinet, ne cubiculo egredi, neve vociferando quèquam in auxilium vocare posset. Ità Cæsar, intra sacrum, quod dicitur, & saxum positus, sanctè promittit, se nihil Regi nociturum, neque quicquam illi adempturum.*

(a) Piccartus Observat. Historico-Polit. Dec. II. c. VIII. p. 115. seqq.

§. XV.

Satiùs videlicet fuisset, vel abstinuisse arcanò congressu, vel coram pluribus id egisse. Piccarti hoc de re præsentè judicium est, duo, uti vides, huic malo remedia statui potuisse arbitrantis: Unum si arcanum hunc congressum exclu-

dere penitus; alterum si plures utrinque adhibere placuisset.

§. XVI.

Prius illud facilem, opinor, abs quovis assensum impetrabit. Vino incaluerant Principes. Hoc animi velut à sui potestate dejecti statu, (quis enim ebrius fati sana consilia agit?) seria tractare periculosum est; Odiosa præsertim, quæque exulcerare mentem alterius, etiam si ab te nulla præcedat verborum contumelia, ingratoque exitu fœdare colloquium facile possunt.

§. XVII.

Apponamus itaque generalibus consiliis hoc etiam, ut seriâ tractaturi negotia Principes horas eligant sobrias, poti quiescant.

§. XVIII.

De altero illo Clarissimi Piccarti consiliô fateor, vehementer me dubitare. *Satius*, inquit, *fuisse, coram pluribus id egisse.* Fingamus ergo pari numero ministros adhibitos utrinque fuisse denos. Ponamus etiam sobrios omnes fuisse. Processerat inter Principes res à verbis ad manuum, non violentiam dicam, sed firmitatem. Complexus enim Imperatorem Wenceslaus non adactô quidem, strictô tamen terrebat ferrô. Cæsaris comes inclamare cogitabat alios, qui periclitanti subvenirent. Alter Wenceslai, id ne fieret, impediebat. Uterque nimirum vincere hac in luctâ suam volebat. Nec damnandus fortasse penitus hic Ministrorum in suum cuiusque Dominum favor. Eventus is fuit, ut sibi relictî Principes incolumes quidem corpore ambo discederent, imperata tamen (sic ut appel-

pellam) Regis potius faceret Cæsar, quàm Cæsar
Rex.

§. XIX.

Putabimusne autem incruentum similiter hujus colloqvii futurum exitum fuisse, si viginti eodem, quò Vogirius & Bambergensis, animò interfuissent ministri, ut scissi videlicet Principum exemplò ipsi in partes, Cæsar alii victoriam, alii Regis promovere cuperent? Annon eventurum citius erat, ut sanguine univerforum maderet cœnaculum, quàm ut verbis inchoatum prælium absque cæde finiretur aut vulnere?

§. XX.

Dices: Potuisse amicis ministrorum compellationibus flecti Principes, ut invicem agerent moderatiùs. Verùm hoc expectandum citiùs videtur fuisse, si ex utràque parte singuli, quàm si deni componendi hanc provinciam blandis verbis, gestu supplici, obtestationibus humillimis suscepissent. Et verò in subitâ, qualis hæc fuit, causâ tranquillis consiliis mutuâ conspiratione longe citius bina sedabunt, quam vicena capita.

§. XXI.

A generalibus remediis ad specialia progredior, quæ pro periculis diversitate varia sint & ipsa necessum est: cum alia vitæ consulant, fortunis alia, quædam dignitati. In omnibus summâ prudentiâ armatum decet esse Principem. Neutiquam enim temeritatem sapientiæ commisceri par est (a); neque vitam dignitatemq; in aleam temerè mittere (b) eum decet, cujus unius spiritu omnes vivunt (c).

B 3

§. XXII.

(a) Cicero pro Marcello. (b) Gvevara L. I. c. XXV. p. 97. Edit. Lips. A. 1624. (c) Curt. I, IX.

§. XXII.

Vita pericula Principi ab eo manifestissimè imminent, qui aperto bello se *hostem* pofitetur. Cavendum ergò ne *intercedente bellò alter alterius sese permittat potestati* (a), quando in colloquiũ venire libet; neve parvo comitatu in locum alterius veniat, ejusq; fidem temere sequatur. Æquali munitus potentiã accedat, atque omnibus violentis, & nefariis conatibus repagula ponat.

(a) Comin. L. III. p. 85.

§. XXIII.

Quò simul pertinet, ut videat Princeps, ne intersint colloquio ejusmodi homines, quorum animos suspectos, ut ab se alienos habet. Sic enim Anno 1419. (a) periisse Johannem Burgundum accepimus, qui ante duodecim annos (b) percussores immiserat Ludovico Aurelianensi. Nimirum cum eò res deducta fuisset, ut utring; datã fide (c) Burgundus & filius Regis (Delphinum Galli vocant) qui postea dictus est Carolus ejus nominis VII. apud Monstrelum, viginti supra Lutetiam miliaribus oppidum, ad confluentem Sequanae & Jona in collocutionem venirent: Burgundus in conspectu Delphini, ad quem transierat, fuit interemptus à quibusdam Aureliani Ducis familiaribus, quos ad colloquium Delphinus adduxerat.

(a) Calvis. Chronol. p. 1091. (b) A. 1407. Calvis. dict. l. p. 1084. (c) Sleid. Illustrat. ad Comin. p. 360.

§. XXIV.

Porro ne vitæ aut securitatis periculum Principes incurrant, postquam sunt congressi, caveant, ne ita sint intenti colloquio, ut non animadvertentes, vel deambulando in hostilem deferantur potestatem, illique de vita suã atque securitate quidvis statuendi copiam faciant.

§. XXV.

Monet hoc Caroli Ducis Burgundiæ, cui avus fuerat

rat infelix ille Johannes (a), exemplum apud Cominæum: (b) *Egressus è Lutetia Rex Galliæ Ludovicus, Caroli, quem paulò ante memorabamus, VII. filius, cum centum circiter equitibus Conflantium venit, ibique reperto Carolo, Duce Burgundiæ, cum quo bellum gerebat, deambulans cum eo colloquitur. Inter deambulandum autem, (verba sunt Auctoris laudati) sic erant intenti sermoni, ut quo deflecterent non animadvertent. Nam ingressi viam, quæ Lutetiam ducit, veniunt in castellum ab adversariis extructum, è regione nostrarum munitionum, quo quidem ex loco tutus erat in urbem receptus. Erant apud Carolum perpauci quidam ipsius familiares: ilico percussi novitate rei obstupescunt omnes, ipse utcunque poterat dissimulat: qui nuncius in castra perlatus magnam excitavit trepidationem. Sed Rex tandem missis quinquaginta equitibus Carolum ad suos reduci curavit.*

(a) de quo §. XXIII. (b) l. II. p. 54. seqq.

§. XXVI.

Non prætermittendum illud, in quo Ludovicum hunc ipsum XI. Galliæ Regem peccavisse discimus è Cominæo. (a) Nimirum Princeps intercedente bellò cum aliis collocuturus, suis, ne hostile quid statuant, interdicit, seduloque caveat, ne quidquam committatur, ex quo simultas oriri possit. Sin tale quid suis exequendum jam antè præceperit, curandum est, ut iussa interim revocentur.

(a) l. III. p. 88.

§. XXVII.

Enimverò periculum, quod Ludovico XI. imminabat inde nascebatur (a), quod cum Peronam iret, cum hoste Carolo Burgundo collocuturus, de suis Legatis quos Leo-

(a) Comin. l. III. p. 88. seqq.

Leodium miserat seditionis excitandæ causâ non cogitabat, qui quidem
injunctum sibi munus diligenter obibant. Instigati enim ab ipsis Leodii,
Tongrorum urbem in quâ tùm erat Episcopus & Imbercortus, & cir-
citer duo millia hominum, ex insidiis capiunt, familiares aliquot Epi-
scopi trucidant, ipsum & Imbercortum captivos abducunt. Inter eun-
dum Imbercortus paciscitur cum nobili quodam viro, in cuius fi-
dem & potestatem receptus multitudinis insaniam evasit, quæ tanta
fuit, ut inter alios Ecclesiastici ordinis Viros & Canonicos Rober-
tum quendam, Episcopi necessarium membratim conscinderent, & per
ludibrium deinde frustra conjicerent alter in alterius caput. Certio-
res autem facti de colloctione Principum, Burgundionibus aliquot
captivis dimissis, præ se ferebant, quidquid ejus rei fecissent, ad-
versus Episcopum modò fecisse, quem & vinctum abducebant Leo-
dium. Captis Tongris, plerique omnes profugerant: Ii quâcun-
que transibant, magnam excitârunt trepidationem, ita quidem, ut
ad Carolum ilicò perferretur nuncius. Dicebant alii, trucidatos
esse omnes, alii contrâ, & multi simul nunciabant, ex iisque non
pauci spectaverant cadem illam Canonicorum, & credebant in
eorum numerò fuisse & Episcopum & Imbercortum, de Regis quoque
Legatis affirmabant, se vidisse illos, & qui essent nominatim dice-
bant. Eâ re Carolus vehementissime fuit commotus, confirmans
Regem insidiosè agere. Jubeat igitur claudi portas, tam oppidi,
quam arcis, in qua Rex erat. Ad quem cum res deferretur, sa-
niè in maximò erat metu, sed & omnes judicio præditi tristem
aliquem verebantur exitum, & simul videbant, quam sit diffici-
le pacificare tam potentes Principes, & quam inconsideratè ab u-
trisque factum esset, quod suos legatos, antequam ad colloctionem
venirent, non revocassent.

§. XXVIII.

Denique vitæ pericula declinari poterunt, ,
fi

si non junctis corporibus, sed quodam, ut ita loquar, sepimento distractis colloquantur Principes: Quod modò non unò fieri potest. Vel enim scissò ponte in ejus abruptâ parte conveniant; Cerialis & Civilis exemplò apud Tacitum (a), qui Vahalis fluminis pontem in hujus rei gratiam scindi curarunt. Vel in mediò ponte cancellatis velut fenestris factis; quod Ludovicum XI. cum suo Equitum Magistro in colloquium descensurum observasse accepimus (b): vel in medio fluminis, ubi pons aut navibus aut aliâ materiâ ita structus sit, ut inter utrumque firmum & robustum vallum intercedat; quod frustra petiit à Rege Galliarum Ludovicus Sfortia Mediolani Dux, cum in ejus colloquium venire cuperet (c).

(a) Tacitus l. V. Hist. sub fin. (b) Paulus Æmilius l. X. citante Forstnero ad Taciti l. II. An. p. 175.

(c) Gvicciardinus l. II. Hist. cit. iterum Forstnero.

§. XXIX.

Et hæc de periculis vitæ. Sequitur, ut ad pericula quoque *fortune* oculum convertamus. Quæ & ipsa, maximè sunt ab hoste metuenda. Ergo cum spe & specie colloquii falli ab hoste queat Princeps, ut occasionem hanc nocendi præscindat, suos, dum colloquuntur, haud securè & segniter, sed summâ potiùs vigilantia atque perspicaci curâ agere jubeat: ne securitate aliena in rem suam utatur hostis.

§. XXX.

Quin etiam, ubi haud vana præsumptio est, non aliâ causâ amici congressus velut inducias expeti ab hoste, quàm ut vires prostratas colligas, aut obicem po-

C

nat

nat progressuræ alioqvi victoriæ nostræ, consultius erit, in commodiora tempora differre colloquium.

§. XXXI.

Ab hostibus veniamus ad *amicos*. Ab his quidem, quamdiu salva est amicitia, adeo nullum nobis vel vitæ vel fortunarum periculum est, ut potius ab alio periclitantes in horum finem confugere queamus. Verùm hoc ipsum ut salva sit *amicitia*, parum civilis colloqvii vitio potest amitti. Quod ipsum omninò ad *fortune* pericula pertinet, cum *primarium fortune* bonum sit amicus fidelis.

§. XXXII.

Cavenda ergò hîc cum primis illa, quam generali comitatis præceptò jam supra (a) exclusimus; quæcunqve morum inurbanitas: idqve non modò colloqvio durante, verùm etiam finito.

(a) §. XII. XIII.

§. XXXIII.

Civilitatis durante colloqvio necessariæ non satis observantem se exhibuit Richardus Angliæ Rex. Is terram sanctam recuperaturus arma conjunxerat cum Gallorum Rege Philippo Augustò. In Sicilia hyems necessario acta, ubi ex diuturna consuetudine, crebròque inter Reges colloqvio similtates renatæ altiùs quam antè animo federe, In arcano congressus Richardus Gallo: *Soror tua, inquit, à me integra virgoq; est. Sponsalia tantùm cum illâ contraxeram. Gengaria Navarrorum Regis filia uxor mea est. Sororem tuam qui tibi cordi fuerit & ipsa res sibi suas habeat.* Non dissimulavit Augustus id ægre se ferre
hoc

hoc demum loco temporeq; actam magnarum rerum mole patefactum, (a).

(a) Piccartus. Dec. II. obs §. p. 114. è Paulo Emilio.

§. XXXIV.

Neque deest exemplum amicitiae vel finito jam colloquio periclitantis ex parum observata civilitate. Carolus Burgundus in Trevirorum urbe cum Friderico Cæsare, qui tunc rerum potiebatur, congressus est. Actum de variis rebus, & inter alia de matrimonio, quod postea contraxerunt ipsorum liberi. Post aliquot dierum colloquutionem Cæsar illinc abiit in salutatio Carolo, eamque rem secuta est animorum alienatio (a).

(a) Cominaus Lib. III. p. 92.

§. XXXV.

Neque verò Principes ipsos tantum studere comitati decet, sed omnibus modis providere, ne virtutis hujus officia deserant Ministri, eventu ipsorum Principum benevolentiae mutuae admodum periculoso.

§. XXXVI.

Repetamus & hic exemplum è toties laudatò Cominaeo, Henrici Castiliae & Ludovici XI. Galliae Regis congressum memorante. (a) Colloquio fuit delectus locus prope flumen quod Galliam ab Hispaniis dividit. Bis modò colloquebantur, neque prolixè admodum, prorsus ex arbitrio Turbendensis Archiepiscopi, cujus apud Henricum summa erat Authoritas. Ipsorum domestici, famuli, qui Bajonae habebant hospitium, primò statim adventu inter se pugnarunt. Henricus erat deformior & cultu corporis invenusto, & ridebatur à Gallis. Ludovicus brevibus utebatur vestimentis, & adeò neglectis, ut nihil supra. Pileum gestabat diversum ab aliis, & huic affixa erat imago plumbea. Hanc tenuitatem ridebant Hispani, & parsimoniae tribuebant, atque ita quidem tunc disces-

sum fuit, excitatis utrinque ludibriis, & cum antea fuisset inter utrosque constans amicitia, coeperunt ab eo tempore relangvescere (a).

(a) Lib. II. p. 91.

§. XXXVII.

Restant jam pericula dignitatis. Hæc ut præcipient Principes, monent Politici ne potior dignitate inferiorem prior accedat, observantiæ ac reverentiæ notam id esse perhibentes.

§. XXXVIII.

Verum hæc tamen regula pati exceptionem potest è præceptis antea nobis commendatæ civilitatis. Itaque Rupertus (a) hac in re Henrici II. cognomento Claudi humilitatem laudat. *Nominaverant, inquit, (a) dictus Imperator & Robertus Franciæ Rex amico congressui locum Iwodium super Charum amnem qui non procul inde Mosæ miscetur. Cum utrâque ripâ consedissent, soloque flumine dirimerentur, cunctatio paulisper fuit, uter transgrederetur. Erant enim utrinque homines, flabella fastus, qui velut in certô Majestatis minuendæ periculô utrumque Principem à modestia absterrebant; Viliorem fore, qui se largitus esset prior, sui que copiam occupatô transitu fecisset: rectius aduros si navibus in medium delati flumen colloquerentur: Id neuri fraudi futurum, eamque unicam esse rationem tuendæ amborum dignitatis. Sed Imperator, minimè istorum morum, id potiùs sibi contendendum existimavit, ne de virtute Roberto quicquam concessisse videretur, primôque diluculô paucis comitantibus transgressus in regis amplexum, nec opinatô venit.*

(a) ad Vell. Paterc. L. II, c. 101. p. 252. è Brunner. l. IX.

§. XXXIX.

Alia Ludovicum XI. de quo ante (a) diximus ratio videtur movisse, ut Carolum Burgundum Peronæ a-

gen-

gentem accederet Rex Ducem. Sic enim belli vel præteriti fortuna, vel futuri facies tulerat, ut colloqvii major esset in Ludovico, quàm Carolo cupiditas (b).

(a) §. XXVII. (b) Vid. Comin. fin. L. II. & princip. L. III. p. 83. 84.

§. XL.

Præstat ergò sanè, si circumstantiæ svadent, id est, si necessitas postulare videtur; si cum amicioribus res est, aut de alterius ingenio ab omni ambitione longe, remoto constat, ut princeps Principem comitate atqve modestiâ antevertat: Virtute enim vincere gloriosum est. Verùm ubi cessant istiusmodi rationes, has elegantias, uti Rupertus (a) Aulicis aliisque, ita nos Principibus ipsis negligendas vix svaserimus. Nam cum authoritas mirè Principatum juvet, merito dignitatem suam, & quæ ad eandem spectant, sartam conservare student ii, quibus aliis imperare concessum.

(a) Loc. cit. §. XXXVIII.

§. XLI.

Itaque Forstnero annotante (a) moris est ut cum duo Principes conveniunt is, qui dignitate anteit, prior ad constitutum locum veniat. Honoris enim quædam species est, quod alter posterior, & ad hunc accedere videtur.

(a) ad Tacit. l. II. p. 177.

§. XLII.

Ita (a) cum de colloquio inter Leonem X. Pontificem Maximum, & Franciscum Gallia Regem convenisset: Rex Biduo postquam Pontifex advenisset, Bononiam ingressus est. Idem Franciscus Rex, cum Pontifex Masiliam venisset, quamvis eadem nocte officii causâ ipsi assuerat, tamen urbe post excedens postero die cum comitatu aulico in urbem rediit.

§. XLIII.

(a) Forstner. dict. loc. è Gvicciardino, L. XII.

§. XLIII.

Quod si verò dignitate pares sunt ii, qui mutuò colloqui desiderant, aut eò certe animò, ut uterque, si vel latò ungue superiorem alterum agnoscat, illive se submittat, id omne ad suæ dignitatis detractionem pertinere arbitretur, excogitandum est aliquid, quod paritatem utrinque præstet illibatam.

§. XLIV.

Tale est, si collocaturi navibus vecti in medio flumine conveniant. Quam rationem tanquam unicam tuendæ amborum dignitatis Henrico II. Imperatori & Roberto Franciæ Regi suggerebant Ministri(a).

(a) Respice §. XXXVIII.

§. XLV.

Simile quid nostrâ memoriâ factum novimus. Hispaniæ & Galliæ Reges Anno seculi præcipitantis sexagesimo secundo (a) pacis confirmandæ causâ in Insula à Phasianis dicta, & quidem in illo quasi puncto, ubi utriusque regni terminus est, convenerunt, atque juramento pacem, quæ Pyrenæa jam audit, confirmaverunt.

(a) Diar. Europ. P. IV.

§. XLVI.

Aliam custodiendæ paritatis viam docebit Exemplum duarum fæminarum illustrium. Hæ fuerunt Margarita Caroli Cæsaris Amita, & Aloysia Francisci Galliæ Regis Mater, quæ eodem momentò per diversas Cameraci portas ædes contiguas, ex quarum una in alteram aditus erat, sunt ingressæ (a).

(a) Gvicciard. L. XIX. atque ex eo Forstn. loc. cit. §. XLI.

§. XLVII.

(a) Forstner. dict. loc. §. Gvicciardus. L. XII.

§. XLVII.

Sed hinc pedem figo, Deum suppliciter orans, velit omnes Principes Christianos divino concordiae amore instruere, ut amicos potius congressus, quam hostiles cogitent; praerprimis autem nostros potenti sua dextrâ contra omnes hostium insultus clementer, protegere diutissimeque incolumes conservare, cui

SIT LAUS HONOR ET
GLORIA.

DE Principum congressibus
& colloctionibus
KANITZIUS NUNC disputat.
Ut Principum congressibus
& colloctionibus
laudabilis **QVONDAM** queat
Generosus hic **KANITZIUS**
adesse, devotus precor

Fridr. Geißler/Silesius, Phil. & J. U. D.
ac P. P.

REs est Principibus digna atq; Illustribus Aulis,
Publicâ in exedrâ quam, Generose, probas;
Nec nisi magnarum sunt hæc præludia rerum.
Scilicet excelsi Principis Argus eris.

Boni ominis ergò addebat

L. Joachimus Fellerus, P. P.

Madri

AT 5096

Madrigal.

Die Eule fliegt nur bey der Nacht;
 Und ob die Taube sich bey Tag' ausmacht/
 So ist sie doch nicht recht zur Sonnen kommen;
 Der Adler schwingt alleine
 Sich hin zu diesem Scheine;
 Läßt dieses auch als eine Probe gehen
 Auff seine junge Brut/
 Ja zieht sie auff als Adlers Blut/
 Wenn sie in dieses Liecht gesehen:
 Ob unser KAMZ von der schlechten Tauben-Art
 Ja in der Nacht sey auffgezogen/
 Beweist er/da er iezo auffgeflogen/
 Und derer Strahlen selbst berührt/
 So dieses Kund als SONNEN führt.

Dieses schriebe mit flüchtiger Feder doch
 gutem Gemüthe

3.



Handwritten initials or mark in the bottom left corner.

Handwritten initials or mark in the bottom right corner.



co fideli, cu
 impertire po
 ones, curas,
 mit. Jam v
 geniosissimo
 limitatem f
 & subditoru
 forte aliquos
 qvales: qvoo
 mo vel dam
 exempla. C
 colloquia m
 (nisi fratrum
 sunt, qvam u
 dis nesciam
 esse oportet
 quanto mag
 quid de tali
 nitere. Inte
 deqve *Cautelis*
colloquia & con
 tiqvam sper
 inde reliqve
Dissertationis,
 mendet, ord
 stres docean
 riculum. S

DE CAUT
 LOQV

nis civilis
 es, suspici
 Cor oppri
 n cum in
 am & sub
 Servorum
 veunt: nisi
 Socii & æ
 n gravissi
 ffe docent
 dum, ut in
 amem illa
 ffidua ferè
 ac in frau
 si cautum
 iscentem:
 ctio est, ne
 qveat pœ
 Magistri,
principes circa
 nobis neu
 trata, hinc
 formulam
 te se com
 viros illu
 ciamus pe
 CA COL
 MU-
 S. I. PRIN-

